

HEINRICVS GRVNINGIVS DECANVS EMBRICENSIS.



**H**Einricus ex honesta familia apud Belgas natus, à pueris operam literis dedit, & primaliterarum rudimenta egregiè percepit. Postea se ad uicinas Academias contulit, & meliori literaturæ præclaram operam nauauit. Itaq; cum in ijs plurimūm prosecisset, ad Embricensēm ecclesiam uocatus, eius collegij Decanus cōstitutus fuit. eam functionē is summa animi moderatione suscepit, atq; ob eruditionem, modestiam, & humanitatem omnibus innotuit. Itaq; Erasmus Roterodamus anno 1520 Louanij existens hunc Heinricum plurimūm dilexit, & in selectorum amicorū numero habuit. Propterea Heinricus literarum patronus suo tempore præclarus existens, meritò hoc loco inter illustres Germaniæ homines connumerari debet. Eras. lib. 14. Epist.